

SECTIO II.

DE CRITERIIS ET REGULIS DOGMATICIS SCRIPTURAE SENSUM INVENIENDI

Hucusque vidimus criteria quae a ratione ipsa suggeruntur ad sacros Scriptores libros intelligendos, quatenus hi sub respectu humano considerantur, seu quatenus ab hominibus humano loquendi more exarati sunt. Verum Scripturae libri, ut superius demonstravimus, habent praeterea supernaturalem characterem, id est et *divini* sunt quia Spiritu Sancto inspirante conscripti, et *canonici* quia solemniter Ecclesiae iudicio ut divini declarati, ipsiusque Ecclesiae custodiae concrediti, quae illos, et a corruptione defendit et fidelibus exponit. Hinc statim intelligitur praeter rationales regulas, ad hos libros intelligendos alias quoque regulas, aliaque criteria praesto esse debere, quae coeteris libris minime communia sunt. Haec criteria cum adnexis regulis vocari possunt *dogmatica*, eo quod non in meris rationis principiis, quemadmodum priora illa, sed in principiis seu *dogmatibus revelatis* fundentur, et ex illis deriventur.

Huiusmodi autem dogmata duo sunt. 1° Divina SS. Librorum inspiratio. 2° Ecclesiae authenticum et infallibile magisterium in rebus fidei proponendis et declarandis. Ex duplici hoc dogmate, quod hic supponimus, duo quoque criteria exurgunt pro Scripturarum interpretatione nempe: 1° Sacrae Scripturae infallibilitas, quae immediate consequitur ex Scripturae divina inspiratione, 2° Authenticum Ecclesiae iudicium de sensu eiusdem Scripturae, quod sequitur ex altero dogmate infallibilitatis Ecclesiae. Et haec sunt summa *Criteria dogmatica* interpretationis biblicae, de quibus nunc agendum est. Singulis autem adnexae sunt plures *regulae practicae*, quibus illorum applicatio et usus docetur. Hinc sponte sua dividitur haec Sectio II in duas partes distinctis capitibus exponendas, prout distincte agitur de praefatis duabus classibus criteriorum et regularum.

Quoniam primum ex praedictis dogmatibus ab omnibus Christianis admittitur, aut saltem logice admittendum esset, criteria et regulae ex eo derivatae *christianae* appellari possunt, et solent.

Alterum vero dogma cum a solis Catholicis proprie admittatur (Protestantes enim omnes privato uniuscuiusque iudicio relinquunt interpretationem S. Scripturae) hinc regulae quae huc pertinent proprie *catholicae* vocantur. Rationalistae, qui nec catholici sunt nec christiani utrumque genus regularum reiiciunt, et unice insistent in Hermeneutica rationali, quam unice adhibendam esse in sacris Libris interpretandis, non secus ac in profanis, acriter contendunt.

Contra hos adversarios praecipue nobis decertandum erit, et duplex illud genus regularum dogmaticarum vindicandum et accurate exponendum, alterum scilicet adversus Rationalistas, alterum adversus Rationalistas simul et Protestantes, ut hac ratione vera, tuta et orthodoxa Hermeneutica Sacrae Scripturae stabilatur.

CAPUT I.

DE CRITERIIS ET REGULIS DOGMATICIS QUAE EX DIVINA SCRIPTURARUM INSPIRATIONE DERIVANTUR

Diximus criterium quod ex Scripturae inspiratione immediate deducitur esse ipsius Scripturae infallibilitatem. Est autem hoc vere *criterium interpretationis*, siquidem eius consideratio interpretem dirigere debet in locis Scripturae eo modo intelligendis, qui eius infallibilitati non repugnet. Cum autem duo sint quae cum infallibilitate conciliari non possunt, *falsitas* nempe, seu error, et *contradictio*, hinc duae generales regulae in Scripturis interpretandis perpetuo ob oculos versari debent, 1° ut in *singulis* locis interpretandis nullus error Scripturae tribuatur, 2° ut in *diversis* locis invicem collatis nulla admittatur contradictio. Utramque regulam ad modum Theosopos, ob rei gravitatem, exponemus, et argumentis firmabimus, aditis quoque nonnullis practicis animadversionibus pro utriusque regulae applicatione, et usu.

ARTICULUS I.

DE FALSITATE IN SCRIPTURIS NON ADMITTENDA

THESIS X.

Libri Sacrae Scripturae ita sunt interpretandi, ut in dictis inspiratorum hominum nulla unquam falsitas admittatur.

Dictum est: *nulla falsitas*, idest non solum nullus error contra fidem et mores seu in locis dogmaticis, sed neque in coeteris locis puta historicis aut propheticis. Addidimus: *in dictis inspiratorum hominum*, non enim repugnat quaedam falsa in Scripturis reperiri, quae ab hominibus non inspiratis dicta fuerint. Quod ut melius intelligatur recolendum est saepe in Scripturis historice referri verba eorum qui minime inspirati a Deo fuerunt, imo aliquando erroribus imbuti, perversi atque impii, ut ex. gr. in libro Iobi referuntur sermones eius amicorum, in libris Sapientialibus verba Epicuraeorum, in Evangeliiis et Actis verba Pharisaeorum, Pilati, turbarum, caeci nati et alia huiusmodi. Cum igitur id sit, sedulo distinguenda est in citatis verbis duplex veritas, nempe veritas historica, et veritas obiectiva. Veritas historica semper adest, seu historice verum esse debet homines illos talia verba dixisse; veritas tamen obiectiva non semper est admittenda, seu non semper verum est id quod per illa verba significatur, imo aliquando constat falsum et absurdum esse. Idem dicas etiam de inspiratione: scilicet verba quae ita citantur in quantum historice vera sunt, subiiciuntur divinae inspirationi concessae Hagiographis qui illa referunt, in quantum vero consideratur eorum sensus peccat ab hominibus illis qui loquentes inducuntur intelligebatur, non sunt subiecta divinae inspirationi, seu inspirata dici non possunt. Haece declaratis, veritas propositae regulae facile demonstratur.

I. Ipsa inspirationis notio veritatem regulae demonstrat. Demonstratum est enim per inspirationem ita Deum influere et cooperari in singulorum locorum scriptionem, ut vere possit et debeat dici eorum *auctor*. Atqui Deus non potest esse erroris et falsita-

tis auctor. Ergo. Hinc fit ut in Sacris Scripturis veritas Hermeneutica cum veritate obiectiva et absoluta semper coniuncta sit, idest semel ac certum fit aliquem sensum seu aliquam interpretationem vere mentem sacri auctoris repraesentare, eo ipso veritas obiectiva illius sensus, seu conceptus, iudicii aut narrationis certa quoque erit; et e converso ex falsitate obiectiva certo demonstrata alicuius interpretationis inferre licet eius falsitatem hermeneuticam, idest eam mentem auctoris non repraesentare, secus ac fit in auctoribus profanis, in quibus exponendis postquam interpret officio suo functus est ostendens quatenam fuerit mens auctoris, succedit officium critici, seu inquisitio, verusne ille sensus sit an falsus.

II. Eadem veritas ostenditur ex sensu ac testimoniis Ecclesiae, et SS. Patrum.

Et 1^o quidem Ecclesiae Patres ac Doctores id sensisse ostendit eorum agendi ratio: siquidem in commentandis aut defendendis contra paganos seu haereticos Scripturae locis nonquam adduci poterunt, ut concederent vel minimum errorem in iis contineri, quamvis difficultates gravissimae aliquando occurrerent, quibus apta responsio in promptu non erat, et adversarii vehementer urgerent: illi tamen potius ignorantiam suam fatebantur, quam admitterent aliquid minus rectum in Scripturis contineri. Quae agendi ratio eo magis notatu digna est quo libertiores fuisse constat eosdem Patres in reiiciendis auctorum profanorum adsercionibus, quantumvis magnae auctoritatis. Et quidem ita se gerebant Patres non solum in locis Scripturae dogmaticis, sed etiam in historicis, physicis aliisque minoris momenti. Quod omnino ostendit persuasum iis fuisse sacros Libros ab omnibus prorsus cuiusvis generis erroribus immunes esse.

Verum 2^o disertis etiam testimoniis idem docuerunt SS. Ecclesiae Patres, ex quibus haec pauca seligimus. Clemens Romanus Epist. 1 ad Corinthios §. 43: « Scripturas diligenter inspicite, quae Spiritus Sancti vera sunt oracula: attendite in illis nihil iniustum, nihil perversum scriptum esse, » et loquebatur non de doctrina Scripturae, sed de historicis narrationibus. Origenes Lib. III in Epist. ad Romanos: « Qui igitur, inquit, fideliter et integre sacrorum voluminum colligit sensum, ostendere debet quomodo ea

quae videntur esse contraria vere contraria non sint. » S. Io. Chrysostomus hom. I in Gen. ubi plura difficulta occurrunt quae ad naturales scientias pertinent, absolute pronunciat: « Nihil contrarium in Sacris Scripturis continetur. » S. Augustinus contra Faust. lib. II cap. 2: « Ibi (in Sacra Scriptura) si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: auctor huius libri non tenuit veritatem; sed aut codex mendosus, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. » Eadem fere habet in epist. 82 ad Hieronymum: « Ego enim, inquit, fateor charitati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc honorem timoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam: at si aliquid in eis offendero literis, quod videtur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assequutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam; » et in eadem epistola hoc ipsum tamquam ex constanti Christianorum persuasione iterum inculcat: « Non te, inquit, arbitror sic legi libros tuos velle tamquam prophetarum et apostolorum, de quorum scriptis quod omni errore careant dubitare nefarium est. » Ita etiam alii Patres loquuntur.

Quoniam vero in Scripturis frequenter occurrunt sententiae vel loca quae *falsitatis speciem* praeseferunt oportebit quaedam peculiariter monere de modo quo interpres officio suo fungi debet in iisdem casibus. Quod ut clarius fiat distinguemus apparentes huiusmodi errores in *doctrinales et historicos*, prout contradicere videntur sive principiis rationis aut humanae scientiae, sive profanae historiae monumentis et narrationibus. Itaque sequentes regulae pro locis primi ordinis dari possunt.

1. Si clarus ac certus sit Scripturae sensus, et cum eo pugnare videatur principium aliquod philosophicum, vel inventum aliquod scientificum, ratio postulat ut hoc illi subordinetur et ad illum trahatur. Per hoc autem nulla fit rationi humanae aut philosophiae iniuria, nec ullum inde obstaculum scientiarum progressui timendum est. Veritas enim veritati contradicere, aut nocere nullatenus potest. Quinimo non parum inde iuvatur ipsa humana scientia: fit enim saepissime in humanis disciplinis, (praesertim cum adhuc imperfectae sunt, et in sua veluti infantia vel adolescentia) ut quae-

dam generalia principia enuncient, quae revera generalia non sunt, vel quasdam notiones minus accurate definitas, vel denique conclusiones quae aut ex praemissis non descendunt, aut ex principiis minus exploratis temere et nimia confidentia deductae fuerunt: quae omnia si possint aut restringi, aut corrigi, aut omnino expungi per aliquam veritatem clare in Scripturis revelatam, magnum profecto erit humanae scientiae incrementum. Exempla satis multa afferri possent ex scientiis quae recentius excoli coeperunt, puta geologia, linguistica, ethnographia, oeconomia politica et similibus, in iis quae respiciunt unitatem speciei humanae, originem linguarum, peccatum originale, aliasque revelatas veritates. Placet hic unum vel alterum exemplum afferre ex physica. Ex constanti experientia corporum veteres philosophi concludebant impenetrabilitatem, et determinationem ad unum locum esse proprietates omnino essentiales materiae. Huic tamen conclusioni contradicit illud quod legitur in Evangelio Christum ex Maria prodiisse salva eius virginitate, et clausis ianuis in coenaculum introisse, itemque in SS. Eucharistia pluribus in locis simul praesentem esse. Verum cum haec tam clare et aperte in Scripturis ponantur ut nulla alia ratione explicari possint, dicendum est leges illas physicas non esse omnino absolutas et in rerum essentia fundatas, sed a Deo posse iis derogari.

2. Contra vero si principium rationis occurrat clarum omnino et evidens vel thesis philosophica apodictice demonstrata, et huic videatur aliquis Scripturae locus repugnare, tunc ratio postulat ut Scripturae sensus cum veritate aliunde certa concilietur. Ex eodem enim principio quod veritas veritati contradicere non possit, cum ex parte rationis habeamus certam veritatem, a priori scimus Scripturam non posse cum illa repugnare, seu conciliationem possibilem esse. Potest autem haec fieri duobus modis. Vel primo ostendendo obvium Scripturae sensum, quamvis prima fronte contrarius videatur, reipsa tamen illi non adversari, vel secundo accipiendo verba Scripturae, non stricte et absolute sed latiori aut relativo sensu. Exemplum prioris conciliationis occurrit circa mysterium SS. Trinitatis quod contradicere videtur primis et evidentibus rationis principiis: *idem non potest esse simul unum et triplex, et quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, quae adversus hoc mysterium a Grello aliisque Socinianis urgentur. Verum suf-

ficit distinctio inter Personas quae tres in Deo sunt, et naturam quae una est, ut appareat Trinitatem in Deo cum illis principis apprimè conciliari. Alterius methodi exempla frequentiora sunt praesertim in iis locis Scripturae quae de rebus physicis loquuntur, in quibus non semper obvius verborum sensus accipiendus est, nam Sacri Scriptores cum haec directe docere non intenderent, de iis loquuti sunt iuxta usitatas et vulgares formulas, quae repraesentant apparentem et relativam rerum naturalium conditionem, non autem obiectivam et absolutam eorum naturam ac proprietates: neque hoc vitio vertendum est Hagiographis, cum etiam nunc sapientes et physicae scientiae periti in communi sermone communes quoque formulas usurpare non desinant et dicant ex. gr. solem oriri, occidere, aliaque huiusmodi quae tamen scientifice iuxta obvium verborum sensum sciunt esse falsa. Multa huius generis exempla occurrunt in primis capitibus Geneseos, item in libro Iosue de solis lunaeque statione, in Iobi etiam libro et in Psalmis passim. De hac via conciliandi Scripturam cum naturalibus scientiis sapienter loquitur Angelicus Doctor in Summa Par. I quaest. 68, art. I iniquens: « Respondeo dicendum, quod, sicut Augustinus docet, in huiusmodi quaestionibus duo sunt observanda. Primum quidem ut veritas Scripturae inconcusse teneatur. Secundum, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut si certa ratione conspicerit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praecludatur. » Haec regula in hodierno statu scientiarum naturalium, et considerata etiam praesenti animorum dispositione, interpreti semper prae oculis habenda est.

Et haec de apparentibus erroribus doctrinalibus, seu philosophicis.

3. Quod pertinet ad loca *historica*, si quid occurrit in Scripturis quod contrarium videatur historiae aliunde cognitae, primum tentanda est conciliatio historiae profanae cum Sacra Scriptura, idque non leviter aut perfunctorie, sed serio et considerate perficiendum est: plures auctores conferendi sunt inter se, chronologicae rationes subtiliter expendendae, monumenta quoque diligenter consulenda. Hisce enim inspectis saepe difficultas, quae initio gravissi-

ma videbatur, prorsus evanescit, cum circumstantiae quaedam ab uno Scriptore omissae ex aliis suppletæ fuerint, aut temporum distinctio et factorum ordo melius intellectus, nominum etiam personarum multiplicitas ac diversitas perspecta fuerit, quae causa magnae confusionis esse solet, cum scilicet una eademque persona diverso nomine a sacris ac profanis historicis designetur. Horum omnium exempla satis multa vidimus in Critica Introductione, puta in defendenda historia Danielis, Esther, Iudith, Machabaeorum etc. Verum si post haec contrariae narrationes nullo modo componi inter se possint, neganda est fides profano historico ut Sacrae Scripturae auctoritas teneatur. Neque id iniuriosum videbitur profanis historicis: nam praeterquamquod humana auctoritas divinae cedere debet, experientia docet historicos profanos in plures errores incidisse praesertim cum de rebus aliarum gentium loquerentur, saepe etiam inter se pugnare, ita ut in ipsa historia profana pertractanda non raro cogamur unum auctorem relinquere ut alteri adhaereamus. Quanto igitur maiori iure id faciemus ut sacros Scriptores sequamur, qui non de alienis sed de domesticis factis scribunt, qui omnes coevi aut quasi coevi ipsis factis fuerunt, qui demum licet ad aetates tam diversas pertineant, et singuli ab aliis independenter scripserint, miro tamen modo inter se consentiunt? Exemplo potest esse Tacitus qui in Lib. V histor. aggressurus historiam belli Iudaici a Romanis gesti praemittit brevem introductionem de Iudaicae gentis origine, vicissitudinibus, et gestis, in qua tamen expositione quot verba tot fere sunt errores, qui ex Moysis narrationibus corrigendi sunt. Hinc omnino relinquendus est. Alia exempla vidimus in Critica Introductione ubi etiam adduximus (Thesi XXXVII) testimonium Ios. Flavii in principio lib. I Cont. Apion. de hac re adversus Graecos egregie disserentis.

4. Denique ipsa principia hermeneutices pure rationalia aliquando sunt paullisper restringenda, si id necessarium fuerit ad veritatem Sacrae Scripturae tuendam. Principia enim illa, quamvis vera semper sint, tamen in Scriptoribus inspiratis subiecta et quodammodo subordinata sunt peculiari conditioni in qua illi in scribendo versabantur.

Haec animadversio potissimum valet in Prophetis explicandis, et in iis locis doctrinalibus quae veritates superrationales seu my-

steria continent. In iis enim caute adhibenda sunt quae hermeneutica rationalis docet, ex. gr. de sensu eruendo ex contextu, ex substrata materia, aut ex rei natura, ut etiam suo loco innuimus (1).

ARTICULUS II.

DE CONTRADICTIONE SEU ANTILOGIA INTER SACROS AUCTORES
NON ADMITTENDA

THESIS XI.

Sacra Scriptura ita intelligenda est ut inter dicta inspiratorum nulla unquam realis antilogia, seu contradictio admittatur.

Cum aliquis idem affirmat et negat secundum eundem respectum dicitur sibi *contradicere*, et oppositio seu pugna quae inter varia eius dicta existit vocatur *contradictio*, vel graeco vocabulo *antilogia*, ipsa vero loca quae sic invicem adversantur *contradictoria*, (graecè *αντιλογια*) vocantur. Haec porro antilogia erit *realis* si ea loca nulla inter se ratione convenire possint, si vero tantum specie tenus opponantur, erit antilogia *apparens*, seu unico vocabulo *enantiophania*; loca vero quae sic invicem pugnare videntur *enantiophana* dicuntur. Quoniam autem totius Sacrae Scripturae unus Deus est auctor primarius, perinde esset si unus Auctor alteri Auctori canonico contradiceret, ac si secum ipse pugnaret. Quibus declaratis, facile est ostendere in Scripturis nullam *realem antilogiam* admitti posse.

Prob. 1. ex regula praecedente. Ubi enim non potest adesse falsitas, ibi nec contradictio esse potest. Nam, ut logici docent, unum ex duobus contradictoriis falsum sit oportet. Si igitur in Scripturis esset realis contradictio, etiam falsitas adesset, quam vidimus admitti non posse.

Prob. 2. ex praxi et testimonio Doctorum Ecclesiae. Quae enim adduximus ex sacris Doctoribus in Thesi praecedente, huc etiam pertinent. Et sane quemadmodum illi solliciti semper fuerunt de qualibet falsitate e Scripturis excludenda, ita nunquam adduci po-

(1) Haec uberius exposita videri possunt apud Kohlgrüber *Hermeneutica Biblica generalis* §. 168 (pag. 244-246).

taerunt ut veram contradictionem inter sacros Scriptores admitterent, quamvis gravissimam aliquando difficultatem persentirent in nonnullis locis inter se conciliandis. Testimonia etiam superius adducta ad veras antilogias non minus quam ad errores excludendos pertinent. His tamen addimus nunc insignem locum Iustini M. in dial. cum Tryph. absolute aientis: « Nusquam audebo vel hoc in animum inducere mentem, vel eloqui, ut dicam adversari sibi invicem Scripturas; verum si qua Scriptura eiusmodi esse videatur et obtentum quasi adversaria sit alteri habeat, omnibus modis persuasum habens nullam Scripturam ab alia diversam esse, ipse me potius non intellexisse quae dicta sunt fatebor. » Plura alia testimonia in re clarissima omittimus.

Verum *apparentes antilogiae* in sacris literis satis frequenter occurrunt: nec aliter fieri potuisset, cum agatur de libris tam diversis temporibus, diversisque auctoribus, deque rebus tam arduis conscriptis. Has itaque *enantiophanias* collegerunt plures ex veteribus, quos inter Tirinus in IV Indice apposito eius commentariis in S. Scripturam numeravit antilogias fere 1300. Fatendum tamen est magnam harum partem vix ullam difficultatem praeseferre, et apparentem contradictionem ex simplici attenta lectione utriusque loci facile dissolvi. Multae tamen ex hisce antilogiis graviores sunt, et ingenio interpretis torquendo aptissimae. Non possumus itaque omittere quin de iis aliquid dicamus, cum in iis solvendis non exigua pars studiorum biblicorum, et officii interpretis contineatur. Nonnulla igitur in genere, et per summa capita dicemus de ratione solvendi apparentes antilogias Sacrae Scripturae.

ARTICULUS III.

DE APPARENTIBUS ANTILOGIIS IN SCRIPTURA OCCURRENTIBUS,
ET DE RATIONE EAS SOLVENDI

Ut clarius appareat ratio superandi huiusmodi difficultates oportebit causas aperire unde illae generatim oriuntur, quibus cognitis, facilius erit earum remedia assignare. Itaque causae antilogiarum apparentium aliae *generales* sunt, aliae vero *speciales*. Causae generales revocari possunt ad tres illas, quas S. Augustinus enume-

rat verbis superius citatis: aut *codex mendosus*, aut *interpres erravit*, aut *tu non intelligis*. Prima itaque causa est vitium seu erronea aliqua lectio codicum: et tunc contradictio vera ac realis esse potest, illa lectione recepta, licet realis non sit respectu habito ad mentem auctoris, idest, iuxta veram et originariam illius loci lectionem. Unicum remedium huic malo affert *Critica sacra* quam *verbalem* appellavimus, haec enim docet quomodo falsae, si quae occurrunt in exemplaribus lectiones, detegi ac corrigi possint. Altera causa est vitium versionis, quando scilicet aliquis locus non est accurate in alteram linguam conversus, et inde sensum efficit contrarium aliis Scripturae locis. Huic incommodo occurrere debet interpres textum originalem consulendo, aut alias versiones simul comparando, ut sensus auctoris clarius et accuratius reddatur. Tertia denique, et quae praecipua, ac frequentior causa est nostra ignorantia, coniuncta cum Scripturarum obscuritate, unde fit ut quaedam videantur contradictoria, quae si melius perspiciantur ac intelligantur optime inter se cohaerent. Huic malo nullum aliud remedium suppetit quam diligentior et accuratior usus regularum hermeneuticarum, et profundior rerum biblicarum scientia, unde fit ut innumerae difficultates, quae prima fronte insolubiles videbantur quasi nebulae ad solis radios evanescant. Quare, ut omnia uno verbo concludamus, si agatur *in genere* de modo huiusmodi difficultates superandi, totum negotium revocatur ad pleniorum cognitionem et usum cum Criticae, tum Hermeneuticae biblicae. Verum ut aliquid magis *in specie* dicamus, quaedam adnotabimus de peculiaribus causis antilogiarum apparentium, et de variis earum remediis pro varia locorum natura, quae, ut saepius innuimus, dividi possunt in loca *historica, dogmatica et prophetica*.

I. Apparentes antilogiae in locis *historicis*.

Causae enantiophantiae in locis historicis generantur sunt.

1. Exemplarium menda praecipue in numeris rerum, ac personarum. Ita ex. gr. circa numerum annorum regis Saulis 1 Reg. XIII, 1 difficultas occurrit, cum ibi dicatur: «*Filius unius anni erat Saul cum regnare coepisset, duobus autem annis regnavit super Israel:*» quae cum antecedentibus et consequentibus pugnare videntur, ubi dicitur Saul cum ad regnum vocatus est altiore fuisse universo populo ab humero et sursum (X, 23), et diutissime re-

gnum tenuisse: probabile est igitur in priore loco mendam irrepisse ita ut legi debeat pro *unius, viginti unius*, et pro *duobus, quadraginta duobus*: quod quidem eo facilius admitti potest, quia litterae hebraicae quibus saepe numeri in exemplaribus designabantur, inter se aliquando simillimae sint, puta *Beth et Caph, Ghimel et Nun, Mem et Samech* etc. Similis difficultas occurrit circa annos Iochin regis qui 4 Reg. XXIV, 8 dicitur regnum accepisse anno *decimo octavo*, et 2 Par. XXXIV, 9 anno *octavo*. Item 3 Reg. IV, 26 Salomon dicitur habuisse 40,000 praesepia eorum currilium, qui tamen 2 Par. IX, 23 (iuxta textum hebraicum) dicitur fuisse 4000: quare librorum error in alterutro loco admittendus est, qui facile explicatur per commutationem notarum numeralium ו 40, et ד 4.

2. Diversus narrandi modus diversorum auctorum. Hinc enim fit ut dum alter rem prolixius describit, alter vero brevius, multaque omissis, alter temporum seriem accurate sequitur, alter negligit, alter circumstantias etiam minutas distinguit, alter vero confuse et in globo, vel verbis generalibus innuit, hinc, inquam, fit ut illi inter se contradicere videantur, quae tamen contradictio si ratio habeatur illius diversitatis styli ac methodi prorsus evanescit. En pauca exempla. Matthaeus narrans factum Mariae pedes Christi unguento pretioso ungentis observat: «*Videntes autem discipuli indignati sunt,*» quo videtur innuere indignationem illam et subsequentem mulieris reprehensionem omnibus Apostolis communem fuisse (Matth. XXVI, 8): at contra Iohannes XII, 4 et 8 refert solum Iudam de Mariae actione conquestum fuisse, cuius rei etiam causam aperit vers. 6: «*Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens ea quae mittebantur portabat.*» Verum removetur apprens haec contradictio si dicamus Iohannem rem totam accuratius et subtilius exposuisse, ut saepe alias facit, Matthaeum vero generalibus verbis usum esse, et discipulos plurali numero posuisse per quamdam extensionem, aut etiam dici posset Iudam quidem primum fuisse qui mulieris pius actus reprehendit, sed postea ois speciosum praetextum ab eo allatum etiam alios discipulos in eandem querelam consensisse. Similis est resolutio apparentis antilogiae inter Matthaeum et Lucam circa blasphemiam Iatronis cum Christo crucifixi, Matthaeus (XXVII,

44) enim plurali numero utitur: « *latrones* qui crucifixi erant cum eo improperabant ei, » Lucas vero (XXIII, 39-42) uni tantum ex latronibus blasphemiam tribuit, alterum vero Christum defendentem et eius gratiam implorantem inducit: scilicet quod Matthaeus generali modo indicavit, Lucas cum distinctione personarum, et adiutorum clarius expressit. Omittimus plura alia exempla, quae in quatuor Evangelis simul componendis passim occurrunt. Huc etiam referri possunt frequentes enantiophaniae circa numeros, dum aliquis ex Hagiographis praecisum numerum ponit, alius autem numerum rotundum, vel tantum approximativum, ut ex. gr. circa tempus quo Hebraei in Aegypto fuerunt, quod Gen. XV, 13-16 dicitur fuisse annos 400, et Ex. XII, 40 dicitur annos 430, ita etiam quoad numerum familiae Iacobi in Aegyptum ingredienti, quae Gen. XLVI, 27 dicitur fuisse animarum 70, S. Stephanus autem coram synedrio praedicans ait fuisse 73 (Act. VII, 14) et ita in aliis locis.

3. Diversitas personarum loquentium saepe difficultatis causa est: aliquando enim non est Scriptura quae loquitur, sed alii loquentes inducuntur, a quibus potest factum vel circumstantia narrari, quae ipsius Scripturae narrationibus repugnat. Ita ex. gr. 4 Reg. XXXI, 4 narratur Saule in praelio vulneratum ad manus hostium effugiendum sibi necem intulisse, sed postea 2 Reg. I, 2-10, dicitur Amalecitam quemdam ipsius Saulis hortatu illum interemisse. Sed nulla est necessitas fidem adiungendi huic alteri narrationi, quae non est sacri Auctoris, sed huius Amalecitae, qui Davidem convenit, et arbitratus est se posse eius gratiam inire si diceret Saulem eius aemulum a se fuisse peremptum. Ita etiam difficultas gravissima quae occurrit 2 Mac. I, 16 circa mortem Antiochi, qui dicitur lapidibus obrutus in templo Nanea, secus ac narratur postea capite IX, 28, iuxta nonnullis solvi potest ex eo quod prima illa narratio non est sacri Scriptoris, sed occurrit in epistola Iudaeorum Ierosolymitarum ad Aegyptios missa, quae libro 2^o Machab. praefixa est. Eadem ratione nonnulli explicant, quae leguntur Act. VII, 16, quae videntur contradicere iis quaearrantur Gen. XXIII, 16. Ios. XXIV, 32, circa speluncam ab Abrahamo coemptam, et Patriarcharum sepulturam: nam in priori illo loco non est Lucas qui ea narrat, sed Stephanus qui, licet sanctus

et Spiritu Sancto plenus, necesse non est ut inspiratus, et infallibilis fuerit in hisce minutis adiunctis recolendis, quae in sua illa vehementi, et improvisa oratione memoriter citabat.

4. Denique nominum multiplicitas, vel diversitas multas parere solet apparentes antilogias, cum scilicet una eademque persona varia nomina habuerit, quorum modo unam, modo alterum in Scriptura ponitur, vel cum unum idemque nomen pluribus personis commune fuerit. Huius rei exemplum vidimus loquentes de Nabuchodonosor, et Arphaxad in libro Iudith nominatis, item de Assuero in libro Esther: eodem modo solvi posset difficultas circa patrem illius Zachariae inter templum et altare occisi, qui Matth. XXIII, 33 dicitur fuisse Barachias, et 2 Par. XXIV, 20 seqq. vocatur Ioiasas. Et ita in aliis casibus.

II. Apparentes antilogiae in locis *dogmaticis*.

In locis dogmaticis Sacrae Scripturae apparentes antilogiae frequentiores fortasse sunt quam in historicis, idque sive ob doctrinae intrinsecam difficultatem, sive ob rationem eam exponendi. In specie vero sequentes antilogiarum dogmaticarum causae notari possunt.

1^o Diversus auctorum scopus. Ex hoc enim fit ut eadem doctrina a diversis auctoribus et in diversis locis vel tradatur vel omittatur, vel accurate et copiose, vel concise et obscure proponatur: aliquando etiam fit ut alicubi hyperbolice proferatur quod alibi intra iustos limites definitur. Huc pertinent plura exempla alibi proposita, ut illa de vitando prorsus iuramento, de non repellendis iniuriis, de omni sollicitudine seponenda et alia similia, quae iuxta Christi Domini consilium coercendi inveteratos abusos, cum restrictione intelligenda sunt, atque ita cohaerent cum aliis locis quae prima fronte illis videntur contraria. Ita quoque Paulus in Epistola ad Romanos fidei efficaciam ita emphatice urget, ut videatur necessitatem operum excludere, quia sic ferebat eius scopus extollendi, et demonstrandi totum salutis negotium ex divinae misericordiae consilio pendere, Iacobus vero in Epistola sua (Iac. II, 2, 24 et seq.) iudaei fidei inutilitatem vehementer inculcat, ut bonorum operum necessitatem extollat, quia contrarium errorem refellere sibi proposuerat.

2^o Peculiares dicendi formae, quae si iuxta obvium sensum ac-

cipiantur contradicunt aliis locis doctrinalibus. Huc pertinet ex. gr. notus ille locus Luc. XIV, de odio parentum et propinquorum, quod absolute acceptum repugnaret quarto praecepto Decalogi, aliisque locis Scripturae innumeris: sed iuxta indolem hebraicae linguae *odium* ibi accipiendum est non absolute sed relative seu pro minori amore. Item notissima illa loca ubi Deus dicitur *indurasse* cor Pharaonis, *excacasse* populum, *bellum* et *gladium* non pacem *adducisse*, quae omnia si pro indole styli biblici non stricto sensu sed latiore accipiantur, scilicet de illorum effectu permissione, nulla erit pugna cum aliis locis quae illis contradicere videbantur.

3^o Diversa eorundem verborum significatio in variis locis multas huiusmodi difficultates parit. Ita quod legitur Gen. XXII, 1 *Domini tentasse* Abraham, et Deut. XIII, 3 *Dominum tentasse* Hebraeos, non repugnat Iacobi verbis aientis « *Dens neminem tentat* » (Iac. I, 13), quia in primis illis locis verbum *tentare* significat experimentum sumere, apud Iacobum autem est incitare ad malum. Ita quoque Eccl. I, 18 *Sapientia* tamquam vana, et inutilis laboris plena vituperatur, deinceps vero VII, 12 seqq. tamquam beatitudinis fons commendatur; sed in primo loco pro speculativa et curiosa scientia accipitur, in altero vero pro morali et divina Sapientia, ideoque pugna nulla est. Ita etiam 2 Cor. V, 21 Christus dicitur pro nobis factus *peccatum*, qui tamen alias a Paulo impollutus dicitur, et nobis similis factus per omnia *praeter peccatum*: verum in priori loco vox *peccatum* significat sacrificium, seu victimam pro peccato, in aliis vero locis accipitur pro morali culpa, et offensa Dei.

4^o Diversa tempora quibus diversi libri, vel sermones scripti vel habiti sunt contradictionem aliquando parere videntur. Sed nulla realis admittitur contradictio, si consideretur quasdam leges revera immutatas fuisse, ita ut, distinctis temporibus, omnia recte se habeant. Ita multa quae in libris V. T. tamquam praecepta et obligatoria inculcantur in libris N. T. non amplius urgentur, aut etiam expresse prohibentur ex. gr. circumcisio (Gal. V, 2); et in ipso N. T. quaedam initio permessa vel praecepta fuerunt prudentis oeconomiae causa, quae postea abrogata fuerunt ex. gr. lex de non comedendo sanguine et suffocato Act. XV. Idem dicendum est de lege matrimonii in V. et N. T. spectata, et de aliis innumeris.

III. Apparentes antilogiae in locis *propheticis*.

Vaticinia Prophetarum ob suam intrinsecam obscuritatem saepe invicem contradicere aut cum historicis libris pugnare videntur. Ad has difficultates solvendas haec potissimum prae oculis habenda sunt.

1^o Cum posterius vaticinium priori contradicere videtur inspicendum est an forte unum vel alterum a Propheta absque divina revelatione, seu proprio iudicio prolatum fuit. Aliquando enim id accidebat Prophetis etiam sanctissimis ut aliquid ex naturali prudentia praedicerent, quod postea accedente divina revelatione retractare cogebantur. Sic Nabhan propheta 2 Reg. VII, 3 Davidi indicavit eum aedificaturum esse templum Domini, sed paulo post a Deo iussus est contrarium illi praedicare (ib. vers. 5 seqq.).

2^o Vaticinia quibus eventus non respondet non ideo falsa sunt aut errorem in historia sacra evincunt: saepe enim in vaticiniis conditio aliqua implicita erat, qua non expleta, vaticinium effectu suo carebat. Haec autem conditio plerumque erat: nisi homines quibus vaticinium destinatum erat respicerent, aut veniam a Deo implorarent. Ita celebre Ioniae vaticinium: « *Adhuc quadraginta dies et Nive subvertetur* » Ion. III, 4, implementum non habuit, quia scilicet Nivitae ad meliorem frugum conversionem poenitentiam egerunt, et ita excidium illud sub conditione praedictum evaserunt. Ita etiam Isaias XXXVIII, 1 Ezechiae aegrotanti absolute praedixit: « *Dispone domui tuae quia morieris tu, et non vives* » ille autem adhuc quindecim annos supervixit, eo quod supplicii oratione vitam a Deo petisset, ut deinceps ibidem narratur.

3^o Non omnia quae in vaticiniis habentur tamquam futurorum praedictiones praecise consideranda sunt. Solent enim Prophetae vaticiniis proprie dictis praecepta, aut comminationes commiscere, id est simul edicere et quod futurum est, et quod faciendum esset, aut fieri posset. Praeterea res futuras aliquando non tam praedicunt quam vivis imaginibus et quasi coloribus pingunt: tunc autem sedulo distinguendum est inter rei substantiam et imaginem sub qua proponitur, quae aliquando pro more orientalium audacior est et hyperbolica, nec ad ultimum usque apicem urgenda, quales sunt plurimae imagines, sub quibus Isaias alique Prophetae adumbrant futurum Messiae regnum (Is. II, 4, XI, 6-10 LXV, 25 etc.). Item

imago seu descriptio secundi templi apud Ezechielem XL-XLIV, quae nimis magnifica est, nec illi respondit templum a Zorobabele aedificatum.

4° Si quaedam vaticinia in sacra historia impleta non reperiuntur non ideo falsa sunt aut historiae repugnant: potest enim fieri ut revera implementum habuerint, quod tamen in Scriptura narratum non sit, aut etiam ut nondum advenerit tempus in eis praedictum. Ita de pluribus vaticiniis Isaiae, Ezechielis, Amos, quae directa sunt adversus Moabitas, Philistaeos, Aegyptios, Aethiopes difficile est aut saepe impossibile demonstrare et exponere implementum, quia nempe illarum gentium historia admodum imperfecte cognoscitur. Ita etiam quaedam Danielis prophetiae, item multa quae a Christo praedicta fuerunt Matth. XXIV, et magna pars vaticiniorum Apocalypseos Iohannis ideo impleta non sunt, quia respiciunt ultima Ecclesiae tempora quae nondum advenerunt.

5° Cum Prophetiae temporum ordinem ac distinctionem plerumque non servant, cavendum est ne contraria putemus ea vaticinia quae de iisdem rebus vel personis contraria praedicunt, quae tamen, distinctis temporibus, ac variis respectibus simul optime conciliantur. Hoc praee oculis habendum est praecipue in Isaia qui de Christo modo laeta et gloriosa, modo tristia ac probrosa vaticinatur ut Is. IX et XI, coll. L et LIII, imo etiam in uno eodemque contextu utrumque genus eventuum aliquando miscet ut cap. LII. Similia occurrunt in Prophetis relate ad futuras sortes populi Iudaici.

6° Demum animadvertendum est quaedam vaticinia duos continere sensus, alterum literalem, alterum mysticum, qui nisi distinguantur videntur historicis libris contradicere, multa enim quae in iis continentur non possunt ad typum seu figuram historice referri, sed ad antitypum seu figuratum pertinent. Ita ex. gr. Psalmus LXXI, quamvis de Salomone scriptum sit, multo tamen plura habet de Christo cuius Salomon erat figura, quae si historice inspiciantur nunquam de Salomone adimpleta sunt, ut ex. gr. quod in aeternum esset regnurus, quod omnes reges mundi eum essent adoraturi, omnesque gentes in eo essent benedicendae, et alia huiusmodi.

CAPUT II.

DE CRITERIIS ET REGULIS DOGMATICIS QUAE EX INFALLIBILI ECCLESIAE MAGISTERIO DERIVANTUR

Hucusque tradidimus normas interpretandi quae *Christiano* cuilibet interpreti observandae sunt ob divinam Scripturae inspirationem. Verum haec interpreti *Catholico* sufficere non possunt, qui praeterea cognoscit infallibile a Deo constitutum fuisse magisterium, cui non tantum in genere depositum revelationis, sed et in specie Sacra Scriptura eiusque dogmatica interpretatio ex officio concredita est: a cuius magisterii norma proinde non potest in Scripturis exponendis praescindere. Quinimo hoc magisterium proprie exhibet *positiva* criteria interpretationis dogmaticae, dum Scripturae inspiratio et infallibilitas *negativum* tantum criterium subministrat, ostendens scilicet quomodo Scriptura exponenda non sit, non autem quinam sit verus singulorum locorum sensus. Oportet itaque nunc de his criteriis agere quae proprie *catholica* appellari possunt, et catholicae interpretationis tesseram constituunt (1).

Ut autem ordine procedamus distinguimus duos modos quibus Ecclesiae magisterium potest influxum exerere in Sacrae Scripturae interpretationem, vel scilicet *directe* et *specialiter*, vel *indirecte* et *generaliter*. Primum fit quando Ecclesia alicuius determinati loci Sacrae Scripturae sensum exponit ac definit, alterum vero quando Ecclesia nullum locum determinatum interpretatur, sed doctrinam revelatam declarat, proponit ac vindicat, quae doctrina etiam in Sacra Scriptura continetur, ex hac enim uberiori doctrinae expositione fieri non potest, quin lux affundatur iis Scripturae partibus, quae de eadem doctrina pertractant. Criteria ac regulae ad utrumque modum influxus ecclesiastici magisterii pertinentia distincte exponenda sunt.

(1) Criteria rationalia libros sacros respiciunt quatenus *humani* sunt, criteria dogmatica primi ordinis eosdem respiciunt quatenus *intrinsicae* sunt *divini*, demum criteria dogmatica catholica, de quibus nunc agimus, eos considerant quatenus canonici sunt et *ecclesiastici*, ex quibus scilicet Ecclesia dogmata sua promit, et quorum proinde custodia et authentica interpretatio ad ipsam Ecclesiam pertinet. Ita divisio regularum respondet variis respectibus sacrorum librorum iuxta divisionem, quam sequenti sumus in Introductione Critica.